

a natura factos ad dicendum. Ratione ducuntur, in eoque uno vertitur illius eloquentia qui persuadere ipsis aliquid cupit, ut rationem in bono lumine collocet, exponatque sine pigmentis et fuco. Cognita ac probata dant manus. Id vero præstare conatus sum in hoc Senatu meo. [Respondit votis eventus] Conditum est Senatus consultum, quo exilium irrogabatur nebulonibus perditis, et auctoritas vitio detracta. Iam nullus impune peccat nullus exempli pravitate grassatur ad perniciem aliorum. Ut vero esset res tota firmior ad diuturnitatem, operam dedi ut non meo nomine decretum hoc fieret, sed publico. Hac arte id sum consecutus, ut senes ac primores populi, vindices sint virtutis atque custodes, tanquam rei suæ, ac per se constitutæ. Ganeones præcipui scelera detestati, et ad Salutarem poenitentiam adducti sunt: ceteri mores aut Solum vertere coacti. Unum mihi restat expugnandum, minus illud quidem grave in Speciem, at reipsa multo difficillimum ad vincendum. Quam sunt isti barbari projecti et audaces ad suscipiendum quodlibet scelus, tam sunt imbellis ac timidi ad superandam, quaecumque occurrit, bene agendi moram et difficultatem. Opus virtutis arduum metiuntur humanis viribus, non divinis, quas a Deo et petere debemus, et expectare. Itaque Statim despondent animum, et assequi se posse diffidunt, quidquid conatum aliquem et nisum postulat. Objurgati de culpa negant in manu sua fuisse illam fugere, Hoc retinent è pristinis